

tempore belli Punici Romanis auxilia non dederunt. Ruinis nunc tota fere collapsa jacet. Quaedam veterum mœniorum ex quadrato lapide partes, quanta fuerit urbs, facile loquuntur. Circa Fucinum porro castella sunt, quæ vulgo S. *Apetito*, S. *Giona*, *Paterno*, *Transacco*, *Gatano*, *Avezzano* & *Maliano*, de quo ante: quæ omnia cum populi frequentia, tum opibus longe superat *Celanum*, juxta montium editissimorum pedem, in colliculo, meridiem versus. Possidetur ab *Ciborum Genuensium* familia, *Fucinoque* lacui indit hoc ævo nomen. Quatuor Alba miliaribus opidulum est *Casa*, *Petri Marfia* patria, cum aliis, tum commentariis in *Silium* celebris. Occidentiora lacui *Celano* vel *Fucino* loca petentibus occurrunt, quæ vernacule *Rocca dalle Cave*; *Capranica*, opidum *Capranicorum*, Romæ nobilium, origine clarum; *Guadagnolo*, *Poli*, *Casa*, *Corbula*, *S. Georgio*, *Rocca deli Rici*, *Ceciliano*, *Sambucca*, *Saracinesco*, *Rocca de Mutii*, *Girano*, *Cereto*, *Anticolo*, *Rinate*, *Affile*, *Civitella*, *Olibano*, *Prisciano* & *Sarvino*, juxta fontem *Liris* fluvii dexterem.

Supra inter excelsos montes oppidum est, quod hodie *Sollago*, vel ut alii pronunciant, *Sublaco*; Latinis *Sub-lacum*, ab situ ad lacum. Meminerunt, sed corruptius, veteres. Pro *Sublaqueo* *Plinii* libro III, cap. XII, reponit *Hermolaus Barbarus* *Sublacum*, quod ab *Frontino* de aquæductibus *via Sublacensis* nominetur: quodque nomen loco dedisse doceat idem *Plinius*, *Lacus tris amœnitate nobiles*. *Sublacensis* item *villa Neroniana* est apud *Frontinum* de aquæductibus. *Tacitus* lib. XIII *Annalium*: *Nam quia discumbentis Neronis apud Simbrivina stagna, cui Sublaqueum nomen est, icte dapes, mensaque dejecta, idque finibus Tiburtum acciderat, unde paterna Plauto origo*. Opidum est perhonestum, lacui, de quo dixi, imminens, monasterio *D. Benedicti*, qui vitam hic egit, celebre, uti *D. Gregorii* dialogi memorant. Huc æstatis tempore, mutandi aëris gratia, secedunt monachi *Farfenses*. *Farfa* monasterium est sumtuosum ab monachis habitatum *Germanis*, ad fluvium *Farfarum* & vallem *Lucretilem* situm, quibus mons cum silva ejusdem nominis, *Blandusiaeque* fons, de quibus suo loco, adjacent. Sed tempus est, ut in *Prænestinam* viam transgrediamur. Ipsum *Præneste*, quod vulgo nunc incolis dicitur *Palestrina*, *Pelestrina*, *Pilestrina*, & *Pilastrina*, non modo ex antiquissimis, sed etiam ex celeberrimis semper fuit *prisci Latii* oppidis. Memoratur veteribus perie omnibus. Vocabulum ejus declinatur in genitivo ac dativo tantum; ut *Tridente*, *Tergeste*, *Aeste*, *Sabate*, *Soracte*, *Reate*, *Teate*, quæ cuncta in genitivo *tis*, in dativo *ti* habent. Neutro nomine effertur, unde *altum* & *sacrum* *Præneste* poetis vocatur, etiam feminino genere, ut omnia oppidorum nomina. Ita *Virgilius*:

Qualis eram, quum primam aciem Præneste sub ipsa Stravi.

Dicta etiam fuit *πραίνες*. sicut *Soracte* *Hetruria* mons, & *Reate* *Sabinorum* oppidum *Græcis* dicebantur *πράϊναι* & *πείλαι*. Nominis originem alii à *Præneste* *Latini*, *Vlyffis* & *Circes* filii, filio derivant. *Servius* *δὸν τὴν πείλαιον*, id est, ab *ilicibus*, quæ illic abundant, ita dictam vult. Alii *δὸν τὴν πείλαιον*, quod *prono* & *declivi* loco sita sit. Ab *Caculo* *Vulcani* filio, ædificatum canit *Virgilius* libro VII *Æneidos*. De *Caculo* longam fabulam habet *Servius*. Situs ejus in declivi monte ad *Venestrim* fluvium, olim longe fuit & amœnissimus & jucundissimus: ideoque florente re Romana frequenter Imperatores *Augusti* huc animi gratia secessisse leguntur. Hinc *Prænestina secessio* apud *Symmachum* lib. I, epist. II; & *Prænestinum diverforium*. Infaustus *Antonino* *Pio* locus fuit propter *Veri Cæsaris*, septennis filii, interitum. Mons, in quo conditum, quondam *Aventinus*, nunc *Aretinus*. Arx summo monti imposita est. XVI II ab urbe milliario locat *Eutropius*: hodie XXI numerantur: cum *Tibure* & *Tusculo* est apud *Strabonem*; qui paullo post abesse *Roma* notat *CL* stadiis. *Præneste* apud *Festum* *municipium* est sui juris. *Appianus* *Italico* bello cum *Tiburtinis* in civitatem acceptos *Prænestinos* diserte scribit. Non tamen diu post *L. Sulla* victor, quantum ex *Tullii Agraria* & *Catilinaria* colligimus, opido cædibus atque proscriptionibus exhausto colonos imposuit, agrumque eorum omnem divisit. Apud *Agellium* lib. XVI, cap. XII II legimus *Prænestinos* ab *Ti. Augusto* impetrasse, ut ex colonia in pristinum municipii statum redigerentur. Multa hic, præsertim in domo *Episcopali*, antiquitatum reliquæ, imagines, coronæ, aræ, tabulæ, cippi marmorei, cum suis elogiis & inscriptionibus. Templum hic sumtuosissimum habuit *Fortuna*, in quo simulachrum ejus fuisse notat *Plinius* inauratum; ab cujus operis præstantia bractææ crassissimæ dicebantur *Prænestina*. *Lithostratum* etiam in *Fortuna Prænestina* delubro factum ab *L. Cornelio Sulla* commemorat idem lib. XXXVI, cap. XXV, inter nobilia pavimentorum genera. Legebatur ibi in basi marmorea carmen, quod hodie in *Episcopi palatio* tale:

*Tu. quæ tarpejo. coleris. vicina. tonanti
Votorum. vindex. semper. fortuna. meorum
Accipe. quæ. pietas. donat. tibi. dona. merenti
Effigiem. nostri. conservatura. parentis
Cujus. ne. taceat. memorandum. litera. nomen
Cæsus. hic. idemque. titus. primusque. vocatur
Qui. largæ. cereris. messes. fructusque. renatos
Digerit. in. precium. cui. constat. fama. fidesque
Et. qui. divitias. vincit. pudor. ire. per. illos
Consuetus. portus. cura. studioque. laboris
Littora. qui. præstant. fessis. tutissima. nautis
Notus. in. urbe. sacra. notus. quoque. finibus. illis
Quos. umber. sulcare. solet. quos. tuscus. arator
Omnibus. hic. annis. votorum. more. suorum
Centenas. adicit. numero. crescente. coronas*

Fortuna

ITALIA.

Rrr